

**DIDO. TRAGOEDIA EX
SEGMENTIS PRIORUM LIBRORUM
AENEIDOS, COMPOSITA AB
AUCTORE INCERTO CUIUS
AUTOGRAPHUM POSSIDET**

Published @ 2017 Trieste Publishing Pty Ltd

ISBN 9780649350575

Dido. Tragoedia ex Segmentis Priorum Librorum Aeneidos, Composita ab Auctore Incerto
Cuius Autographum Possidet by W. H.D. Suringar

Except for use in any review, the reproduction or utilisation of this work in whole or in part in any form by any electronic, mechanical or other means, now known or hereafter invented, including xerography, photocopying and recording, or in any information storage or retrieval system, is forbidden without the permission of the publisher, Trieste Publishing Pty Ltd, PO Box 1576 Collingwood, Victoria 3066 Australia.

All rights reserved.

Edited by Trieste Publishing Pty Ltd.
Cover @ 2017

This book is sold subject to the condition that it shall not, by way of trade or otherwise, be lent, re-sold, hired out, or otherwise circulated without the publisher's prior consent in any form or binding or cover other than that in which it is published and without a similar condition including this condition being imposed on the subsequent purchaser.

www.triestepublishing.com

W. H.D. SURINGAR

**DIDO. TRAGOEDIA EX
SEGMENTIS PRIORUM LIBRORUM
AENEIDOS, COMPOSITA AB
AUCTORE INCERTO CUIUS
AUTOGRAPHUM POSSIDET**

D I D O.

T R A G O E D I A

EX SEGMENTIS PRIORUM LIBRORUM


AENEIDOS

COMPOSITA AB AUCTORE INCERTO CUIUS AUTOGRAPHUM POSSIDET

BIBLIOTHECA LEIDENSIS.

EDIDIT

W. H. D. SURINGAR,
LITT. DOCT.



LOGDUNI BATAVORUM
• APUD FRATRES VAN DER HOEK.
1880.

297. 2. 57.

P R A E F A T I O.

Scenica Romanorum poesis, si numerum comoediarum et tragoediarum, e quibus fragmenta quantulacunque servata sunt, componimus cum annorum quibus ea floruit paucitate, prope est ut poesin Graecorum aequaverit, quam constat in hoc genere fuisse ditissimam. Ea vero tantam per medii aevi tempora fecit iacturam ut omnia omnino pessum iisse dolendum fuisset, nisi Plauti superessent comoediae et Terentii cum tragoediis aliquot, quae aut Senecae sunt aut saltem eius nomine feruntur. Quanto autem minus ex hoc scriptionis genere nobis reliquerit barbarorum temporum incuria, tanto magis fere dixeris meliorum quae secuta sunt temporum diligentiam studuisse ut acceptam nobis resarciret calamitatem. In omnibus quippe eruditioris Europae partibus incredibile est quanta duobus praesertim saeculis XVI et XVII prodierit comoediarum et tragoediarum multitudo Latino sermone scriptarum. Mihi saltem in hanc posterioris aevi literarum Latinarum partem ab aliquot annis inquirenti contigit ut ex catalogis librorum et aliis cuiusmodi generis subsidiis non minus quam ducentorum poetarum nomina expiscari potuerim, a quibus plus quam mille vidi confectas esse fabulas.

Istae vero fabulae, quae partim in lucem editae sunt, partim modo inter manus versatae, eo consilio videntur esse compositae, ut in scena agerentur aut ab Academiarum civibus aut a Gy-

mnasiorum discipulis; quapropter vulgo *Dramata Scholastica* appellari solent. Nihilominus tamen merito dubitari possit an omnes istae fabulae unquam in scena actae sint. De plerisque res est admodum incerta: de multis tamen earum id aut aliunde notum est aut in ipso titulo expressum legitur.

Quas vero actas esse novimus, eas videmus agi solitas fuisse coram magistris urbisque magistratibus, interdum quoque coram regibus, praesentibus ut plurimum viris honoratioribus; quin etiam certum est ad eiusmodi exercitationes discipulos plerumque fuisse excitatos a Scholarum Moderatoribus, ratis quippe has non solum exercere memoriam adolescentium, sed iis quoque animum addere in frequentia hominum dicendi, decorumque observandi in agendo.*)

Diu autem ante quam novae istae fabulae coeptae erant componi, ad eum quem dixi modum veteres agi consueverant comoe-

*) Franc. Baco, De dignitate et augmentis scientiarum L. VI. c. 4. (ed. Mayer, Norimb. 1829. T. II. p. 131.) *Non abs re fuerit etiam, notare, facultates vel mediocres, si in magnos viros aut res magnas incidant, graves et insignes interdum producere effectus. Eius rei ponemus exemplum memorabile, quod eo magis adducimus, quia Iesuitae eandem disciplinam non videntur aspernari, sano, ut nobis videtur, iudicio. Atque est res, quae, si sit professoria, infamis est, verum disciplinaria facta, ex optimis est. Intelligimus autem actionem theatralem; quippe quae memoriam roborat, vocis et pronuntiationis tonum atque efficaciam temperat, vultum et gestum ad decorum componit, fiduciam non parvam conciliat, denique oculis hominum iuvenes assuefacit.* In eandem sententiam locutus esse dicitur Lutherus, quum a Cellario interrogatus esset plurae mali quam boni facerent magistri qui adolescentes comediis agendis occuparent. Servata sunt summi viri verba in *Luther's Tischreden, Hrg. von Förstemann u. Bindseil* (Berlin 1848) B. IV. S. 598. Cf. Gedike, *Luther's Pädagogik oder Gedanken über Erziehung und Schulwesen, aus Luther's Schriften gesammelt.* Berlin 1792. p. 72 sq. Cum Lutheri autem effato mirum quantum consentiant Melanthonis versus quos infra citabimus.

diae; nonnunquam Plauti, sed plurimum Terentii, quo scilicet auctore recta crederetur non alius esse inter Latinos scriptores, qui elegantius doceat loqui aut iuvenilem linguam imbuat utiliori genere orationis. Ea res, quam et alii commendarunt eruditi orbis Coryphaei, et Philippus ille Melanthon, qui in privata sua schola istas exercitationes moderatus esse dicitur, *) per multos annos vixit non solum sed etiam viguit in pluribus Germaniae partibus, nec minus apud Belgas et Anglos; quin et ne nunc quidem omnino in desuetudinem abiit.

*) *Bretschneider, Praemonenda ad Phil. Melanthonis Carmina quae supersunt omnia (Corpus Reformatorum T. X. p. 462.) Postquam uxorem duxerat, multos adolescentes adeoque pueros in domum suam receptos, vel ad mensam suam admissos, instituit, eosque etiam in faciendis carminibus exercitavit. In illa schola privata Melanthonis erant illo tempore Franciscus Burchhard Vinariensis, Erasmus Ebnerus, Eberhardus Rochtus, Ioannes Silberhoner, Ursinus Vetius, Theodoricus Reiffenstein et multi alii, qui etiam exercitationis causa fabulas veterum, ut Plauti, Terentii agebant, in quorum usum Melanthon multos scripsit versus. Ex istis versibus lubet nonnullos citare in quibus Terentianarum comoediarum virtutem praedicavit. Sunt autem ex Prologo in Phormionem:*

Nam quod didicere fabulas, quas exhibent,
 Honestam causam est, ut Latini copia
 Sermo hauriatur ex his fontibus.
 Haec vos studio favere maxime decet:
 Et rebus ipsis utilitas et gratia
 Ingens inest, imagines vitae omnium
 Pinguntur in Terentii comoediis,
 Quae singulos, qualis deceat moderatio
 Qualisve in actione dignitas, movent.
 Leporque mixtus est, salesque candidi,
 Qui suavitate orationem condunt,
 Et saepe tecte commovent, quod expedit.

Qui plura cupiat, eum delegamus ad librum quem Germanice scripsit Ludw. Koch, *Phil. Melanthon's schola privata. Ein historischer Beitrag zum Ehrengedächtniss des Praeceptor Germaniae.* Gotha 1859. 8^o. p. 64.

In Anglia certe, ut quotannis in Diariis memoratum invenimus, primis feriarum Natalitiarum diebus ab alumnis Scholae Westmonasteriensis publice recitatur una alterave Terentii fabula, novo aucta Prologo et Epilogo, in quo res tractantur, quae eo anno maxime memorabiles acciderunt*); nec desunt vestigia eius consuetudinis in Germania ad nostram usque aetatem servatae. †)

Sed superioribus istis, quae diximus, saeculis fuerunt nimis multi, quibus quantumvis oratio placeret Terentiana, displiceret tamen illud

*Non est flagitium, mihi crede, adolescentulum
Scortari, neque potare; non est: neque fores
Effringere*

et quae id genus plura passim leguntur apud eundem. Hi igitur servato, quantum fieri poterat, stilo Terentiano selectas ex sacro Bibliorum volumine historias scenicis actibus exornarunt.

Plus quam quisquam alius in hoc genere laboravit Corn. Schonaeus, Rector quondam Gymnasii Harlemensis, qui octodecim scripsit Comoedias sacras, in quibus sunt: Naaman, Tobaeus, Nehemias, Saulus, Iosephus, Iuditha, Susanna, Daniel, aliae; quae, quem primum singulis prodierant editionibus, deinde uno volumine coniunctae sunt, quod *Terentius Christianus* inscriptum est. Omnes autem Schonaei Comoediae summo pere pudice, caste

*) Phormionem ab istius scholae discipulis laudabiliter actam et magno spectatorum plausu exceptam esse, scribit testis oculatus I. A. Voigt, *Mittheilungen über das Unterrichtswesen England's und Schottland's*. Halle 1857. p. 93 sq.

†) De hoc argumento, quod a multis dudum fuerat tractatum, nuperime scripsit O. Francke, *Terenz und die lateinische Schulcomoedie in Deutschland*. Weimar 1877. (pp. 157) 8^o eius tamen labere ut ea res exhausta sit, multum abesse ostendit Franc. Weinkauff in doctissime scripta de hoc libro censura in *Literaturzeitung*. Jahrg. 1878.

verecundeque scriptae sunt et tantopere absunt ab oris obscenitate et lascivia, ut singulis praefigi potuisset, quod in prologo Nehemiae scripsit

*Nihil hic aut deforme, aut profanum, aut frivolum ;
Nihil, bonis quod affecturum est moribus ,
Usquam reperietur. Quin omnis exulat
Hinc turpitude verborumque obscenitas.
Nusquam hic aut lenoni, aut meretriculae, nusquam
Salacibus adolescentulis datur locus.*

quibus veribus vix dubium est quin poeta Eunuchum, Andriam et Adelfos vellicaverit; quemadmodum Amphitruo, Miles gloriose et Phormio probabiliter carpuntur in Tobaei Prologo:

*Non hic amore demens adolescentulus
Pudenda coram iactabit crimina :
Nec fabulosus quispiam deus, viri
Mentitus formam, amantem fallat coniugem :
Nec miles adversa ostentabit vulnera ;
Nec serous argento emunget senem. Nihil
Tale hic spectabitis, nihil
Obscoenum aut ludicrum ; verum sacram
Piamque vobis exhibebimus historiam.*

Eundem deinde lapidem, cum hic tum in aliis regionibus, moverunt alii, quorum tanta est multitudo ut vel nomina eorum longum sit eloqui. Alii quidem eandem ac Schonaeus ingressi sunt viam; aliis vero placuit argumenta Dramatibus suis non magis ex Sacra Scriptura petere quam ex profanis scriptoribus. In his fuit Nicod. Frischlinus, qui quum censeret omnes Vergilianas Aeneidos libros esse tragicos aut certe instar tragoediarum, coepit aliquando meditari de singulis divini illius carminis libris in tragoedias redigendis,*) opinatus quippe eodem modo Euripidem

*) Hac de re ita scripsit in Praef. ad Didonem: *Tragicas esse catastrophas singulorum librorum, ex his, quae sequuntur, manifestum fiet omnibus. Nam etsi primus liber Comoediae videtur similior, quam Tragoediae,*

et Sophoclem suas ex Homero confecisse tragoedias, quo Caecilius, Actius, Ennius et alii sua composuissent apud Latinos dramata. Sed fortuna, qua Frischlinus usus est maxime adversa, impeditit quominus telam istam pertexeret, quam adeo tantum exorsus est editis duabus in hoc genere tragoediis. Alteram earum, quae, ex primo Aeneidos libro confecta, *Venus* inscribitur, absolvit Argentinae a. 1584, alteram, cui liber quartus praebuit argumentum et quae *Dido* inscripta est, iam tribus annis ante ediderat Tubingae. In utraque auctor id operas dedit, ut licet alio usus sit metri genere, phrasin Vergilianam retinuerit et, quantum fieri posset, nullum aliud verbum quaesierit. Quo labore facile mihi quidem persuaderi patiar hoc effecisse Frischlinum ut primus et quartus liber Aeneidos melius intelligi possint a discipulis, et sic assecutum esse quod sibi in hoc scriptionis genere proposuisset. *)

(*si ad laetam catastropham respicias*) tamen in aliis omnibus tristes sunt magnarum personarum exitus. Igilur secundus liber in fine mortem Creusae continet: tertius Anchisae, quartus Didonis, quintus Palinuri, sextus interitum Marcellii, septimus ante Catalogum recitat caedem Galesi et Almonis, octavus interitum Caci, nonus praeter occisionem Nisi et Euryali, etiam circa finem Numeni casum exponit: decimus vero mortis Mezentii, undecimus necem Camillae, duodecimus caede Turni finitur. Haec cogitatio eo me impulit, ut de Virgiliana Aeneide in Tragoedias redigenda iam olim meditari mecum coeperim. — Praeter Frischlinum fuerunt etiam alii, qui argumento ex Aeneide delibato tragoedias scripserunt. Quo referendi sunt:

Joh. Lucienberg, *Indlyta Aeneis* P. Virgilii Maronis poetarum optimi, in regiam tragico-comoediam, servatis ubique heroicis versibus, non minori industria quam labore concinne redacta. Francof. ad M. 1576. 4.

Mich. Hospenius, *Equus Troianus sive de eversione Ilii*. Tragoedia ex libro secundo Aeneidos Virgilii. Argent. 1590.

Th. Coberus, *Troia*, Tragoedia ex libro secundo Aeneidos Virgilii. Lipsiae 1593.

*) Qualem docendi methodum in explicandis poetis secutus sit, his verbis declaravit ibidem: *Volo inventutem exercere in mea schola Poetica,*